Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36643
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

128

inditum a lavatione meroris. Nam Greci balaneum dicunt, quod anxietatem animi tollat. Sed et gimnasia dicuntur, quia ibi athletae uncto corpore et perfricato manibus exercitantur. Nam gimnasium Grece, Latine exercitium dicitur. Apodyterium ubi lavantium vestimenta ponuntur, ab exuendo scilicet dictum; apodyterin enim Grece exuere dicitur. Popina Grecus sermo est, quae apud nos corrupte propina dicitur. Est autem locus iuxta balnea publica, ubi post lavacrum a fame et siti reficiuntur. Unde et propina et propinare dicitur. Pina enim Grece famem significat, eo quod hic locus famem tollat. Tabernae olim vocabantur ediculae plebeiae, et parvae et simplices in vicis axibus et tabulis clausae. Unde et tabernariae, quod ibi solebant considere. Dictae autem tabernae quod ex tabulis ligneis erant constructae, quae nunc et si non speciem nomen tamen pristinum retinent. Macellum dictum quod ibi mactentur pecora, quae mercantibus venundantur. Mercatum autem a commercio nominatum. Ibi enim res vendere vel emere solitum est. Sic et theloneum dicitur, ubi merces navium et nautarum emolumenta redduntur. Ibi enim vectigalis exactor sedet pretium rebus impositurus, et voce a mercatoribus flagitans. Carcer est a quo prohibemur exire, et dictus carcer a coercendo.

De habitaculis.

Habitatio ab habendo vocata, ut habitaculum, casas. Domus ex Greca appellatione vocata; nam doma Greci tecta dicunt. Est enim domus unius familiae habitatio, sicut urbs unius populi, sicut orbis domicilium totius humani generis. Omne edificium antiqui edem appellaverunt. Alii edem ab edendo quoddam sumpsisse nomen existimant, dantes exemplum de Plauto: si vocassem vos in edem ad prandium. Hinc et edificium, eo quod fuerit prius ad edendum factum. Aula domus est regia sive spaciosum habitaculum porticibus quattuor conclusum. Atrium magna edes est sive amplior et spaciosa domus, et dictum est atrium eo quod addantur ei tres porticus. Alii autem atrium quasi ab igne et lumine atrum dixerunt; atrum enim fit ex fumo. Palatium a Palante principe Arcadum dictum, in cuius honore Arcades Palanteum oppidum construxerunt, et regiam in suo nomine conditam palatium nominaverunt. Thalamum hac ex causa fertur: cum enim raptae fuissent a Romanis Sabinae, ex quibus cum una ante alias nobilis cum admiratione magna omnium raperetur, Thalamioni duci eam oraculo responsum est dari; et quoniam hae nuptiae feliciter cesserant, institutum est ut in omnibus nuptiis thalami nomen iteretur. Egyptii quoque lingua sua loca in quibus nubentes succendunt et incubant, thalamum nominant. Cenaculum dictum a communione vescendi. Unde et cenobium congregatio. Antiqui enim publice et communiter vescebantur; nec ulli convivium singulare erat, ne in occulto deliciae luxuriam gignerent. Triclinium est cenaculum a tribus lectulis discumbentium dictum. Apud veteres enim in loco ubi parabantur convivia, exponebantur tres lectuli strati, erant in quibus discumbentes epulabantur. Siquidem enim Grece lectum vel accubitum dicunt; ex cuius aspectu est ut triclinium dicatur. Cella dicta quod nos occultat et celat. Cubiculum vero quod eo cubamus ibique dormientes requiescamus. Cubile autem cubationis locus est. Secessus quod sit locus secretus, id est sine accessu. Diversorium dictum eo quod ex diversis viis conveniatur ibi. Hospicium sermo Grecus est, ubi quis ad tempus hospitali iure inhabitat, et iterum inde transiens migrat. Unde metatum quia mutatur; unde legitur et castra metatis permutaverunt. Genus illic permanet exercitus sed permansit. Moenianus collega Crassi in foro primus proiecit materias ut essent loca in quibus expectantes insisterent, quae ex nomine eius meniana appellata sunt. Sed et solaria quae patent soli. Post hanc alii lapide, alii materia edificare porticibus meniana, et foris et domibus adiecerunt. Tabulata olim ligneae domus fiebant, unde nomen permanet